



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De eo qui duas vxores simul duxit, aut per libidinem alteram mulierem  
vxori superinduxit; & de poena eius. Capvt XXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO CHRISTI 325  
clesiam, ad audiendum tamen scripturas. Quando autem impletum fuerit hoc tempus pœnitentiæ 20. annorum, licebit intrare in ecclesiam, & sumere sacram communionem.

*De susceptoribus in baptismo.*

CAPVT XXII.

Viri non teneant in baptismo feminas, neque mulieres teneant mares: sed potius mulieres teneant feminas, & viri teneant mares.

*De nuptiis prohibitis fratrum & sororum spiritualium ex susceptione in baptismo.*

CAPVT XXIII.

Neque vir det filio suo in matrimonium eam quam vxor sua tenuit in baptismo; neque mulier det filiam suam in matrimonium ei quem maritus tenuit in baptismo; quia isti habentur vt fratres & sorores spirituales; & eorum pater & mater, similiter vt pater & mater spirituales.

*De eo qui duas vxores simul duxit, aut per libidinem alteram mulierem vxori superinduxit; & de pœna eius.*

CAPVT XXIV.

Nemo debet duas vxores simul ducere, nec vxori suæ alteram mulierem propter voluptatem & desiderium carnis subintroducere, proiiciendo se in periculum peccandi, versando cum pluribus ad concupiscentiam, nec ad semen suscipiendum, sicut Deus ordinavit: & qui hoc fecerit, si fuerit sacerdos, prohibeatur ministerio sacrificandi, & communionem fidelium, quousque eiiciat domo se-

cundam, & debet retinere \* primam. idem iudicium est de laicis.

\* Non concedit hic Canon, vt sacerdos secunda eiecta, retineat primam ad vtendum; sed iubet vt retineat, ne pretextu religionis eiiciat: iam enim antegressus est Canon de calibatu sacri ordinis, capite 4.

*De nemine arcendo a sacra communione, nisi ratione pœnitentiæ.*

### CAPVT XXV.

Nullus sacerdos vllum fidelem a communione sacra arceat, neque propter odium, neque propter aliam causam quamcumque mundanam: & qui hoc commiserit, deponatur, & excommunicetur, quia vsurpauit hanc potestatem tamquam dominans.

Pertinet hic Canon ad Canonem apost. 25. de repellente pœnitentem.

*De sponsione & testimonio in causa criminis dicendo, clerico prohibitis.*

### CAPVT XXVI.

11. q. 1. ca.  
testimo-  
nium, &c.  
si quisquã.

Nullus clericus pro aliquo spondeat, neque testimonium contra vllum in causa criminali dicat, nec eam ad regem deferat; nec ad ea se ingerat, quæ ad alios pertinent; neque seminet dissidia inter fideles: & qui hoc commiserit, eiiciatur ex gradu, & prohibeatur communione fidelium.

*De vitandis excommunicatis, & de non accipienda oblatione ab eis: & de excommunicatione non vitandis excommunicatum.*

### CAPVT XXVII.

De excom-  
municatio-  
ne commu-  
nicantis

Quicumque fuerit a sacerdote ligatus, quamuis calumniam passus sit, non est ab eo accipienda oblatio